



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Caemeteria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

ADDITIO.

- 1 Possunt Canonici mutare paramenta sine consensu Episcopi, & de mobilibus non pretiosioribus disponere. *Congregat. Conc. 23. Augusti 1631.*
- 2 Triennium in locationibus computandum est ex tribus fructuum collectionibus, ita ut si ex quolibet triennio vnus tantum fructus percipiatur, tunc triennium pro vno anno computari debet, & locatio fieri potest vsque ad nouennium. *DD. cum Barboss. de iure Eccl. l. 3. cap. 17. n. 73.*

Cameteria.

- 1 Restituantur vbi non sunt Prouinci.
- 2 Nulla ibi sint arbores, nec herba paulo danda. *Prou. 4.*
- 3 Bene Claudantur, & Cruce alta in medio posita. *Prou. 1.*
- 4 Vbi potest, extruatur ibi Capella, & adsit vas cum aqua benedicta. *Pro. 4.*
- 6 Stabula iumentorum inde distent. *ibidem.*
- 6 Neque ibi tritura fiat, neque telæ extendantur, neque fabrile quid elaboretur. *ibid.*
- 7 Ecclesia polluta, censetur pollutum contiguum Cameterium, non è contra *Barbos. de pot. Episc. alleg. 27. num. 29.*

Calix.

- 1 Non ex ære, neque auricalco sit; potius ex stanno. *Conc. Rhem. c. 6.*
- 2 Negatur contactus illius iis, qui non sunt in sacris. *Conc. Rom. 2. cap. 9.*
- 3 Potest Episcopus ex causa dare licentiam clerico, non in sacris, tangendi vasa sacra. *Vgol. de pot. Episcop. capit. 4. §. 11. num. 1.*
- 4 Execratur, quando deauratur, nisi deauratio cadat propter vium. *Sylu. Calix quest. 2.*
- 6 Item si scyphus à pede ex toto separetur, licet non sit fractus, quia iunctura est tornatilis, siue ad vitam. *Idem ibid. Negat Suarez.*
- 6 Et quando amittit formam Calicis. *Sylu. loco cit.*

Campana.

- 1 IN Sabbato Sancto ne pulsantur Campana à quouis, antequam Cathedralis Ecclesia, vel Matrix pulsauerit, sub pœna 100. ducatorum. *Leo X. Anno 1518.*
- 2 Per Matricem intellige quoque Parochialem in Diœcesi, antequam non possunt Regulares, neque Confratres suas Campanas pulsare. *Congregat. Rit. 19. February. 1608.*
V. Ecclesia. num. 20. Exequia numero 37. Interdictum numero 21. 27. Oratio publica. num. 16. 23. 26. 27. Processio. num. 21. 22. Regularium iura sub Episcopis num. 50.

ADDITIO.

- 1 Potest Episcopus prohibere, ne campana nondum benedicta pulsantur. *Congr. Rit. 5. Jul. 1614.*
- 2 Etiam si collegiata habeat omnimodam præcedentiam supra Matricem, non tamen potest pulsare campanas prius in Sabbato Sancto. *Congr. ead. 23. Febr. 1619.*
- 3 Si adest consuetudo pulsandi campanas non nisi post Cathedralis, seu Matricem, obseruanda est. *ead. 21. Aug. 1601.*
- 4 Aliàs liberum est cuique ante, vel post. *ead. 11. Apr. 1601.*

Canoniatuum Collatio.

- 1 Vbi præbendæ cum distributionibus sunt ita tenues in insignibus Collegiatis, ut non respondeant decentiæ loci, & personarum, licet Episcopo cum Capituli consensu, vel beneficia simplicia non regularia iis, vnire, vel aliquibus suppressis cum patronorum consensu ad minorem numerum Canoniatuum reducere. *Trid. sess. 24. cap. 15.*
- 2 Prouisio Canoniatuum ne fiat, nisi iis qui ætatem, & aliàs habent qualitates, sub pœna nullitatis. *Idem sess. 22. cap. 3.*
- 3 Nemo ad Dignitates, quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi saltem 25. ætatis annum attigerit, & in clericali ordine laudabiliter vixerit. *Idem sess. 24. cap. 12.*
- 4 Ad Dignitates infra Archidiaconum, vel Personatus sine animarum cura clerici idonei,